


**05**  
**A**  
**1634**





16

DISPUTATIO CATECH. XVII.

DE

POENITENTIA

SEU CONVERSIONE HO-

minis, peccatoris ad Deum, e-

jusque partibus,

Quam

Cum auspiciis S. S. Triados

Ad privatam συζήτησιν

Sub presidio

Reverendi & Clarissimi viri,

*Dn. DAVIDIS RÜNGII,*

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PRO-

fessoris in Academia VVitebergensi publici,

discutiendam proponit:

DANIEL COTHENIUS

Brunsvicensis.

Die 17. Iulij hor. 6. matut. loco consueto.



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno 1602.



01  
REVERENDO & MAGNIFICO

viro,

Dn. POLYCARPO LY-  
SERO, SS. THEOLOGICÆ DOCTO-  
ri excellentissimo, aræ Electoralis Saxonicae  
Antistiti primario, dignissimo.

REVERENDO ET DOCTISSIMO  
VIRO Dn. M. HERMANNO WOLFIO ECCLE-  
siæ apud Lubecenses ad B. Virginem Sym-  
mistæ fidelissimo.

Nec non

*Amplissimis prudentissimisq; viris,*

Dn. HENRICO PASCHEN,  
Dn. PETRO MARTENS,  
inclytæ politiæ Lubecensium Senatoribus  
dignissimis.

*Dominis Patronis ac Mæcenatibus suis debita semper  
reverentia & honore colendis,*

Disputationem hanc Theologicam:

*Grati animi Symbolum, & perpetuæ observantia pignus.*

offert & inscribit.

Daniel Cothenius Brunsvicensis,  
Respondens.



05 A 1634

## T H E S I S I.



*Reiectis in precedente disputatione duobus Pontificiorum fictitjs Sacramentis, Confirmatione videlicet & Extrema unctione: optimo jam ordine ad longè utilissimam doctrinam de Pœnitentia, quæ modum preparationis ad salutarem & legitimum verorum ac propriè sic dictorum Novi Testamenti Sacramentorum usum nobis monstrat & exhibet, accessum facimus.*

### II.

*Initiò vocis Pœnitentiæ homonymia diligenter observanda venit, cum ab illius liberrimo in Ecclesia semper retento usu, nos planè abhorrere mendacissimè Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 7. nugatus sit.*

### III.

*Aliquando itaq; in Scripturis ὁλικῶς sumpta, totam hominis pœnitentis conversionem comprehendit, ut Matth. 3. v. 2. Luc. 13. v. 3. & 15. v. 7. 10. Act. 11. v. 18. Rom. 2. v. 4: aliquando verò μερικῶς primam duntaxat pœnitentiæ partē, quæ est contritio seu dolor animi de peccatis, significat, ut Marc. 1. v. 15. Luc. 24. v. 47. Act. 20. v. 21.*

### IV.

*Et sanè facili dignosci possunt negotio hæ significaciones: siquidem particularis illa est, quando vel fides, vel gratia, vel remissio peccatorum voci pœnitentiæ ἀντιδρημῆνως adjungitur: Absolutè verò posita, ita ut predicatum ei attributum fidem propriè respiciat, totam hominis conversionem denotat, quam græcè μετάνοιαν, latine non malè resipiscentiam vocant.*

### V.

*In hac posteriore significacione etiam à nobis jam accepta pœnitentia definitur, quòd sit motus cordis à Spiritu Sancto per vocem Legis & Euangelij accensus, quo homo non modò seriò agnoscit & dolet, se Deum admissis suis peccatis graviter offendisse: sed & vera certaq; fide promissiones de gratuita peccatorum per & propter Christum remissione amplectitur, sibiq; adversus sensum iræ Dei & damnationis indubitato applicat.*

### VI.

*Ex hac definitione liquido apparet, duas esse causas, veram & Evangelicam pœnitentiam constituentes: Primam ac principalem efficientem Spiritum Sanctum, cui, cum tota nostra sanctificatio per mirandam illam sacrosanctæ Trinitatis οἰκονομίαν assignata est, universum etiam salutaris pœnitentiæ opus, tanquã primaria ejus pars, principaliter ascribitur, id quod omnia etiam Scripturæ dicta comprobant, quæ conversionis actum Deo assignant, Ier. 31. v. 18. 19. Ezech. 36. v. 26. 27. Iren. 5. v. 21. 1. Cor. 6. v. 11. 2. Timoth. 2. v. 25.*

### VII.

*Quapropter falsa & in Spiritum Sanctum summè blasphema sunt initiò*

Scholasticorum definitiones, in quibus pœnitentiam, virtutem seu habitum in animo hominis inherentem asserunt, & δὲν ἀμὴν agendi pœnitentiam, viribus humanis attribuant.

VIII.

Sic etiam non minus detestandam Papicolarum Concilij Tridentini commentum est, cum pœnitentiam Sacramentum proprie sic dictum definiierint, & contra sentientes, anathematis fulmine ferire haud erubuerint, sessione quarta sub Julio tertio cap. 1. canone primo. Quod ipsum etiam confirmant Bellar. lib. 1. de pœnit. cap. 8. & Catechismus Romanus parte secunda cap. 5. quæst. 10.

IX.

Licet enim mirabiliter se torserint in constituenda ejus materia & parte terrena: dum alij hominis pœnitentis actiones externas, compendium Theologie Pontifici. lib. 6. cap. 20. alij Sacerdotis vocem absolutoriam, Bellar. lib. 1. de pœnit. cap. 11: alij ipsa peccata materiam ejus constituerunt, Catech. Rom. par. 2. cap. 5. quæst. 12. nullus tamen consensus etiam in hunc usq; diem inter bellos istos doctores potuit reperiri: ut ita verius μετὰ ὁλὴν ἀποδοῦν aliquod, quam N. T. Sacramentum ab illis exstructum esse verè affirmari possit.

X.

Cum autem Spiritus Sanctus non ἀμὲσως aut per enthusiasmum seu peculiare raptus peccatoris conversionem operatur, sed ἐμμέσως Esa. 66. v. 2. duplici instrumento seu organo, tanquam altera causa, Lege videlicet & Evangelio ad eam generandam utitur.

XI.

Primò voce Legis ceu malleo quodam ferreo saxea hominum corda, aliàs pœnitere nescia, inq; peccatis mortua terret Rom. 4. v. 15. 1. Cor. 15. v. 56. conterit: Jer. 23. v. 29. Esa. 38. 13. mortificat, 1. Sam. 2. v. 6. Deinde verò cor ita humiliatū & spiritum sic prostratū voce Evangelij vicissim erigit, erectum solatur, & fidem amplectentem promissionem de gratuita peccatorum propter Christum remissione largitur, Rom. 1. v. 16. & 8. v. 1. 1. Cor. 4. v. 15. 2. Cor. 3. v. 6.

XII.

Atq; ad hæc duo doctrinarum genera cetera omnia recidunt, quæ vi aliqua pœnitentiam exuscitandi pollent, cetera sunt: Passio & mors Christi, crux, δολιμοσίου & τιμωγίου &c. Ose. 5. v. 15. & 6. v. 1. Hag. 2. v. 18. Amos 4. v. 9. 10.

XIII.

Vnde jam duæ tantum essentialis & συστατικῆς pœnitentiæ partes oriuntur: Contritio & Fides justificans, Marc. 1. v. 15. sive ab effectu Legis & Evangelij nuncupata; mortificatio & vivificatio, Deut. 32. v. 39. 1. Sam. 2. v. 6.

XIV.

Quòd autem neq; plures neq; pauciores partes constitui possint aut debeant, satis

satis evidenter primò comprobat verè ad Deum conversionis proprietates, quæ est, ut convertens 1. de admissis peccatis seriò doleat: 2. firma fide promissiones Euangelij proprias apprehendat, sibiq; applicet.

XV.

Secundò has ipsas partes tum Christi, tum Apostolorum confirmat auctoritas, qui semper duas duntaxat hasce hominibus convertendis inculcarunt, ut Marc. 1. v. 15. Agite pœnitentiam & credite Euangelio. Luc. 24. v. 47. ita oportuit predicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum: Sic Act. 2. v. 38. 3. v. 19. 20. v. 21. & alibi passim.

XVI.

Tandem etiam illustratur διχοτομία hæc omnium à peccatis conversorum exemplis: ut Adami horribilem suum lapsum ex divina vocis fulmine agnoscentis, & fide vicissim in promissum semen mulieris se sustentantis, Gen. 3. Davidis ex concionibus utriusq; Prophetæ Nathanis & Gath contritionem ob peccata admissa concipientis & fide vicissim sese erigentis, 2. Sam. 12. & 24. cap. Mulieris peccatricis, Luc. 7. v. 33. & seqq. Latronis à dextris Christi crucifixi, Luc. 23. Petri Matth. 26. v. 75. & aliorum.

XVII.

Aliter latius usurpant vocem pœnitentiæ, qui plures ejus partes constituent, & novam obedientiam dictis duabus adijciunt, cum hæc non spectet conversionem, sed conversum, verèq; conversionis fructus & τεκμήριον sit, Matth. 3. v. 8. Luc. 3. v. 8. Act. 26. v. 20.

XVIII.

Quod jam ad primam pœnitentiæ partem videlicet Contritionem attinet, est illa verus ac serius dolor cordis, quo peccator agnitis suis ex Lege Dei peccatis, iram Dei promeritisq; pœnas trepidè expavescit, & non solum de admissis dolet, sed etiam ea detestatur & abominatur juxta exempla Ezechia Esa. 38. v. 13. Davidis Psal. 34. v. 4. 9. 11. Petri Matth. 26. v. 75.

XIX.

Lege enim delicta expergesiunt & terrore incusso Legis fulmine mortificatur homo, sicut Paulus ait Rom. 3. v. 20. per Legem agnitio peccati, & cap. 7. v. 7. peccatum non cognovi nisi per legem, & v. 9. Veniente mandato, peccatum revixit, ego verò mortuus sum.

XX.

Non verò isthæc contritio ad pœnitentiam tanquam causa vel medium adipiscende gratiæ & salutis requiritur. Sed partim ut pars ordinis, quem Deus in convertendis observat: partim ut quædam præparatio ad secuturam medicinam, quò videlicet Christus cum suis beneficijs tanto magis peccatoribus dulcescat.

## XXI.

Nec etiam solâ illâ contritione salutaris pœnitentia absolvitur, ut quæ sibi relicta ad desperationem semper vergit, sed Evangelica fides concurrat necesse est, quæ non est generalis tantum historica Legis & Evangelij notitia, qualem Papicolæ comminiscuntur, sed certa πλυσφοροῦσα & plenissima cordis fiducia promissiones Evangelicas de gratuita peccatorum remissione apprehendens, Eph. 3. v. 12. Rom. 4. v. 21.

## XXII.

Hæc enim non ratione quidem suæ vel qualitatis vel quantitatis, sed ratione apprehensionis, qua per firmam fiduciam applicat sibi meritum Christi, insultus legis excipit, omnem diffidentiam profligat, timorem filialem efficit, conversionem absolvit & perfectam reddit, remissionem peccatorum impetrat, Act. 10. v. 43. veram pacem in conscientijs contritorum efficit, Rom. 5. v. 1. & denique veram ac salutarem Davidis & Petri contritionem à falsa & exitiosa Caini & Iudæ distinguit, Ebr. 10. v. 22. & 11. cap. per totum.

## XXIII.

Quapropter gravissimè hallucinari Pontificios & cum ipsis in eodem luto hærentes Calvinianos, nemini incompertum esse potest, dum fidem salutaris pœnitentiæ partem esse satis improbè negant: Bellar. lib. 1. de pœnit. cap. 19. Calvinus lib. 3. institut. cap. 3. §. 5. & c.

## XXIV.

Et quamvis Papicolæ tres alias pœnitentiæ partes substituerint, Contritionem videlicet cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis, tamen cum nostris in Scriptura fundamentis è diametro adversantur, omnes hinc quoq; unâ corruunt.

## XXV.

Voi enim locorum invenient contritionem, qualem illi requirunt, voluntariam ita sufficientem, perfectam & meritoriam, quæ non tantum à peccatis liberet, verum etiam benedictionem adducat: cum nullius hominis dolores quantumvis acerbissimi iræ divinæ ne in minimo quidem gradu respondere possint, Psal. 130. v. 3. Job. 9. v. 3?

## XXVI.

Talem proinde contritionem ut impossibilem & in augustissimum Christi meritum summè blasphemam explodimus, explosam ad orcum relegamus: Solus enim Christus iniquitatem nostram delet, & gratiam confert, Esa. 53. v. 8. Rom. 3. v. 22.

## XXVII.

Confessionem oris quod attinet, non sanè omnem ex agro ac finibus Ecclesiæ relegatam volumus, quin imò in Ecclesiis retinendam illam esse, haud inviti concedimus, quæ vel DEO peccata nostra confitemur, idq; tam publicè cum tota Ecclesia 1. Sam. 7. v. 6. Joel. 1. v. 14. quàm privatim pro se unusquisque, Davidis & Publicani exemplo, Psal. 32. v. 5. & 51. v. 5 & 6. Luc. 18. v. 13. vel hominibus, tum, ut, si quos offendimus, in gratiam cum illis redeamus, Mat. h. 5.

v. 24.



v. 24. Luc. 17. v. 4. tūm, ut solatium ab alijs accipiamus, siquidem sepe animus ita peccatis obrutus, & stimulis conscientiae agitatus, difficilime consolationem admittere solet.

XXVIII.

Et quid quæso absurditatis inde concludere possunt adversarij Sacramentarij, si maxime oris confessionem, quæ sit ministro Ecclesie, retineamus? non sanè eo respectu, ut ad pœnitentiæ τὸ εἰκοῦ concurrat: sed I. quia ad τὰ εἰκοῦ & εὐχρηστοσώωννυ conduit, II. quia utilis & necessaria est rudioribus, ut privatim à Sacerdote de vita & fide Christiana rectius instruantur.

XXIX.

Nec propterea confessionem auricularem sub necessitate æternæ salutis à Papiculis introductam hisce stabilimus, quando exactam uniuscujusq; delicti a confitente in tota vita perpetrati cum omnibus circumstantijs enumerationē exigunt, quin potius animorum carnificinam verboq; Dei è diametro contrariam ac planè impossibilem disertè pronunciamus: Delicta enim quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, inquit regius Psalter Psal. 19. v. 15. & 38. v. 5.

XXX.

Quo igitur spiritu Calviniani agantur, & quâ fronte ac conscientia sint, hinc jam apparet, dum confessionem privatam in nostris Ecclesiis usitatam, Papismi accusant, cum omninò nihil commune cum illis habeat, sed potius d'iq; d'ioῦ πρὸς ὅν inter se dissideant.

XXXI.

Tertia monastica pœnitentiæ pars videlicet Satisfactio, a primitiva Ecclesia usurpata, fuit olim ritus ac ceremonia, quâ non DEO, sed offense Ecclesie satisfieri & veram ac seriam pœnitentiam declarari voluerunt: Hanc Ecclesiasticam disciplinam etiamnum, habita tamen cujusvis loci & temporis ratione, observari posse ac debere libenter concedimus, ut publicum videlicet sit testimonium, Evangelium non docere licentiam peccandi.

XXXII.

Sed eam constituere ac fingere sufficiens operum indebitorum ad temporales & purgatorij pœnas redimendas exercitium ac studium, ut Scholastici doctores & has secuti Papistæ faciunt, minime approbare possumus.

XXXIII.

Istud enim figmentum ut horrendum & in Scripturis expressè improbatum, Esa. 29. v. 13. Matth. 15. v. 89. frustra me colunt mandatis hominum: Ita maxime blasphemum est in meritum Christi sacratissimum, ut quoque 27 thesi indig. tatum est, quia ipse solus & unicus noster est redemptor, Rom. 3. v. 24. propitiator, 1. Ioh. 2. v. 2. conciliator, 1. Timoth. 2. v. 5. & non pro culpa duntaxat, sed pro pœna etiam sufficientissimum & perfectissimum Deo Patri & Filio. exsolvit, Esa. 53. v. 5. Mich. 7. v. 18. 19. 1. Pet. 2. v. 24.

Quid

## XXXIV.

Quid etiam efficerent istis satisfactionibus & bonis operibus in sacris ne verbulo mandatis & approbatis Esavite? Siquidem bona etiam piorum opera omnia, & ea quidem a Deo mandata & injuncta omnino nihil per se promereri queant, Christo teste Luc. 17. v. 10. Tantum etiam abest, ut pœnas temporales tollere, ut etiam ne mitigare possint. Ion. 2. Dan. 4. v. 27. Sed omnia ex misericordissima Dei gratia & plus quam gratuita promissione nobis attribuuntur, Psal. 106. v. 4. & 115. v. 1. 1. Timoth. 4. v. 8.

## XXXV.

Atque sic quidem ex disputatis hisce, quæ ad veram pœnitentiam requirantur, quæ verò minus, liquido apparet: Restat jam porro, ut & errores, qui de subiecto pœnitentiæ in Ecclesiam irrepserunt, paucis discutiantur.

## XXXVI.

Et primò occurrit geminus Anabaptistarum furor: Prior, quo semel justificatos Spiritum Sanctum & fidem amittere posse negant: Alter quo tantam esse renatorum in hac vita perfectionem contendunt, ut peccare nequeant.

## XXXVII.

Vtriusq; erroris fœditas licet perniciosissima sit, & veram sanamq; de Pœnitentiæ doctrinam graviter labefactet, causeq; pietatis ingentes injiciat remoras, nihilominus tamen defensores ac propagatores strenuos adepti est: ac priorem suum fecerunt Calviniani: posteriorem verò Pontificij.

## XXXVIII.

Nos verò utrumq; ex Scripturæ dictis & exemplis verè ac rectè damnamus & detestamur. Priori enim reclamant I. dicta Scripturæ Matth. 12. v. 44. Rom. 11. v. 17. & seqq. 1. Cor. 9. v. ult. & cap. 10. v. 12. 2. Pet. 2. v. 20. II. exempla protoplastarum Gen. 3. Israelitarum in deserto, Num. 26. v. 65. 1. Cor. 10. v. 5. Davidis, Petri, &c. Posteriori itidem contradicunt David Psal. 14. v. 3. & 32. v. 6. Job. cap. 15. v. 14. Salomon Prov. 24. v. 12. Paulus Rom. 3. v. 10. & seqq. Iohannes in 1. Epistola cano. cap. 1. v. 8.

## XXXIX.

Tandem quoque in errantium classem referimus καθαρῶς seu Novatianos, qui contra manifesta etiam Scripturæ testimonia Ier. 3. v. 1. Apoc. 2. v. 3. Exempla Davidis 2. Sam. 12. Manassis 2. Paral. 33. Petri Luc. 22. v. 32. & 62. imò contra immotam & jurejurando confirmatam Dei sententiam Ezech. 18. v. 23. & 32. & cap. 33. v. 11. 19. post baptismum enormi aliquo delicto lapsis pœnitentiæ locum prorsus denegandum esse statuerunt.

Ὁ μόνος σοφὸς θεὸς δόξα.


05 A 1634


ULB Halle 3  
003 780 18X



Bd. 1







DISPUTATIO CATECH. XVII.  
DE  
**POENITENTIA**  
SEU CONVERSIONE HO-  
minis peccatoris ad Deum, e-  
jusque partibus,  
*Quam*  
Cum auspiciis S.S. Triados  
Ad privatam συζητησιν  
*Sub presidio*  
Reverendi & Clarissimi viri,  
**Dn. DAVIDIS RUNGII,**  
S.S. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PRO-  
fessoris in Academia VVitebergensi publici,  
discutiendam proponit:  
**DANIEL COTHENIUS**  
Brunsvicensis.  
Die 17. Julij hor. 6. matut. loco consueto.

WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mulleri,  
Anno 1602.

16